


NVMMI CASTRENSES

WOLFGANGI BIPONTINI AL-

ter : cufus fufceptâ in Gallias expeditione : alter
 confœderatorum fub ipfâ Gallici & Germa-
 nici exercitus conjunctione : Anno
 Chrifti 1569.



Vm Wolfgangus Palatinus Bipontini Dux, per Gervasium Barberium Francurium à Condæo rogatus, exercitum conscripssisset: ei à Friderico Electore, gentili suo, cum summo Imperio dux destinatus est: ut in Gallia laborantibus fœderatis præstò esset: cumque prævideret fore, ut in varias non solum apud Regem, sed & externos Principes, reprehensiones ob id incurreret, ab Aumalio, qui ut transitum ejus impediret, missus fuerat, per literas interpellatus, non ad ipsum, sed ad Regem prolixum scriptum dedit: & excusatâ conscripti exercitus necessitate (nimirum ut fines suos, superioribus annis militaribus copijs per eos transeuntibus, populos adireptos tueretur) Navarrae ac Condæum, & qui eandem cum ipsis religionem in Gallia profiterentur, apud se de injurijs gravissimis conquestos dicit: quod bonis fortunisque, & quod minus tolerabile sit, in conscientiarum libertate, contra edicti nuper promulgati fidem affligerentur. Postridie quam scriptum dedit, cum pars copiarum Rhenum transmississet, ipse Tabernis Montanis ditionis suæ oppido discedit, & prid: cal. Mart. Hochfeldum, in præfectura Hagenoënsi situm pagum, pervenit, quem locum pro diri-